Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1193
Quelle:
Copyright:

credentes in eum, continuo ſequitur *Diſtinctio* I. *Cum intendat magiſter determinare, qualiter deus nos chriſto conuiuificauit* &c. et omiſſis IV. *Dubiis*, quae interſerit Editio, *Articulus* I. *Ad intelligenciam uero hujus partis incidit hic queſtio* &c. Extrema conſonant: *ſecundum quod in hoc libro explanatum eſt, ſit omnis honor et gloria per infinita ſecula ſeculorum. Amen.*

DVII.

U.415 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 394. f. per duas columnas nitide ſcriptus, et minio diſtinctus easdem *Bonaventurae in III. Sententiar. Librum Quaeſtiones* eodem modo integras continet, ἀνεπιγραφους quidem, ſed ad calcem *fol.* 386. p. 2. habes: *Explicit liber tercius fratris bonauenture ſuper ſentencijs. Omnis laus in fine probatur.* Folia reſidua partim fragmentum ex Operibus *Guilelmi de S. Amore* ſaepius relatis, partim Tabula in *Quaeſtiones* memoratas occupat. Corio Thecae exterius octies impreſſum eſt Sigillum Sacerdotem ſacris operantem ad elevationem calicis exhibens cum Perigraphe: *S. Prepoſiti. In Mirica.* Quidam *Myricam* interpretantur *Heyde*, quo nomine fuit Coenobium Virginum olim in *Haſſia*, quibus ſui Ordinis Vir *Praepoſiti* nomine invigilare ſolet, item Urbs *Bohemiae*, cujus Praepoſituram *Ziſchka* a. 1421. evertit.

DVIII.

Codex membraneus lat. Sec. R.935 XIV. Folior. 119. f. per duas columnas nitide, multis tamen vocum compendiis, exaratus, coloribus diſtinctus, et quondam Collegii S. J. *Viennae* Commentarius eſt in L. I. *Sententiarum Petri Lombardi* inſcriptus laconiſmo *Opus Petri.* Eſt vero *Petrus* hic a loco natali dictus *de Tarentaſia* ex Ord. Praed. ad ſedem Petri ſub nomine *Innocentii* V. adſumtus, quam a. 1276. morte deſtituit. Plura de eo Bibliothecarii Ordinis et *Ciaconius* in *Vit. Pontiff.* T. II. *col.* 203. Opus incipit: *Nunquid noſti ordinem celi — — Job XXXVIII. Verba iſta ſunt domini ad beatum iob. ipſum ſicut magiſter diſcipulum examinantis* &c. Extrema ſunt: *per quod genus humanum redemptum eſt. Preſtante eodem redemptore qui eſt benedictus in ſecula ſeculorum. Amen. Explicit liber primus ſententiarum. deo Gratias.* Sequitur Elenchus Quaeſtionum, et ad hujus calcem: *Expliciunt problemata primi libri ſententiarum. Et ſunt* CCCCIII.

DIX.

Codex membraneus lat. Sec. U.439 XIV. Folior. 82. f. per duas columnas multis vocum compendiis exaratus, et coloribus diſtinctus inſcribitur: III. (Liber) *Fratris Petri Super Sententias.* Eſt is *Petrus de Tarentaſia*, de quo *Codice*